

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

---

Samuel Gerlach


**Recensio Ornamentorum Sponsi Et Sponsae Apvd Veteres : Qvam Viro Svmme  
Reverendo Atqve Doctissimo Sigismvndo Jacobo Bavmgarten ... Nvptias Anno  
MDCCXXXIV Die XIII Maii Felicibus Avspiciis Celebranti**

Halae Magdebvrgicae: Typis Ioannis Christiani Grvnerti Acad. Typogr., 1734

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1691825522>


Druck Freier  Zugang





Rp-395(9)  
R.p-395(9.)





RECENSIO  
ORNAMENTORVM  
**SPONSI ET SPONSAE**  
APVD VETERES


QVAM  
**VIRO**  
SVMME REVERENDO ATQVE DOCTISSIMO  
**SIGISMVNDO IACOBO**  
**BAVMGARTEN**

S. S. THEOL. IN FRIDRICIANA PROFESSORI ORDIN.  
ET AD AEDEM B. VIRGINIS ECCLESIASTAE  
FIDELISSIMO ET MERITISSIMO

*NVPTIAS*

ANNO CCCC XXXIV DIE XIII MAII  
~~FELICIBVS AVSPICIIS CELEBRANTI~~  
GRATVLABVNDVS OFFERT  
**M. SAMVEL GERLACH**  
POTSDAMIENSIS.

HALAE MAGDEBVRGICAE  
TYPIS IOANNIS CHRISTIANI GRVNERTI ACAD. TYPOGR.





Elices atque fideles nuptias, *Tibi vir summe reverende* toto pectore, gratulaturus in illud Pauli verissime dictum incido: τίμος ὁ γάμος εἰ τῶσι, honorabiles nuptiæ in omnibus esse debent; quæ verba non profecto de statu coniugii solum i), sed æque itidem de nuptiali festiuitate, quo in significatu vox γάμος sape usurpatur 2), intelligenda esse existimo. Habant profecto veterum nuptiæ varios atque elegantissimos ritus, rerum maximarum diuinarumque significantissima symbola, ceremonias ipsius Christi mysticis & personalibus nuptiis describendis adhibitas, consuetudines ita Deo acceptas, ut vel ipse Christus sua Canæ Galilææ præsentia maius iis attulerit auctoramentum. Quæ cum pia mente ad spirituale illud transferrentur, ad quod significandum bono scopo institutæ erant: summam

A 2

pote-

- 1) Græci ignominia notarunt ἀγάμους, vid. I. Phil. Pfeifferi *Annot. Græcas* p. 598. vbi relatum legi etiam, leges Atticas oratoribus & belli ducibus iniungere, ut si fidem sibi a populo haberi velint, liberos suscipiant. Quidni vero ille status sacrosanctus erit & venerabilis, cuius ipsemet Deus auctor exstitit, in quo tot sancti viri vitam transegerunt & in quo ipse Christus ex virginе nasci voluit?
- 2) Iulius Pollux *Onomast.* Lib. III. c. 3. n. 4: Ὅμηρος μέντος οὐ τὸ ἔργον μόνον, αἱλλὰ καὶ τὴν ἐσιαγὸν γάμου καλεῖ.

poterant & nuptiis & ipsi coniugio conciliare, & diuinam benedictionem. Non attinet tamen nunc omnes egregios veterum nuptiales ritus, quamuis hic maxime locus esset, sigillatim describere; quum in speciali quodam & illustri verter argumento, de antiquis sponsi & sponsæ ornamenti, *Tibi, Sponsæ honoratissime sponsæque Tuæ leđissimæ & generosissimæ conuerentissimis*, pauca carptim delibatur; quæ, quamuis ab aliis sciā luculentius, forte etiam melius enarrata 3), eo tamen libenter nunc profero, quo ea præsenti scopo meo deprehendi magis respondere.

Possem equidem de ornatu interno æque atque externo, de naturali pulchritudine pariter, quam adscititia hic sermonem instituere: verum sufficiat nunc de externo corporis cultu verba facere, internarum virtutum eleganti signaculo, atque ad eum referre omne id, quod ex opinione istorum temporum corpori nitorem, honorem dignitatemque adscitio opere conciliare poterat. Obseruabo autem primo generatim,

1. Veteres mutato statu etiam ornatum mutasse, atque aliter in squalore & luctu; aliter autem lætitia & festivitate publica crescente incessisse 4). Nuptiæ autem, quum veteribus haberentur perfectissimus status 5): hinc illi, qui inter veteres nuptias celebrabant, perfectissimi status etiam signa & insignia fibi

3) Pertinent in hunc censum *Iosephus Laurenius* de sponsalibus & nuptiis antiquorum, *I. Bapt. Casalius* de ritu nuptiarum quorum hac de re scripta legi in Gronoui Tom. VIII. Antiqu. Græc. *Briffonius*, *Rottmannus*, *Hildebrandus*, alii, quos tamen omnes perlegere neque est cuiusvis instituti, nec omnium interest.

4) Vid. *Dougbæi Analecta S. ad Es. LXI, 10.*

5) Hinc enim apud *Hesychium* dicuntur τέλος, ἀπό τοῦ εἰς τελεότητα ἄγεν, quod humanæ vitæ perpetuatio nuptiarum merito perficitur, sicuti reddidit *Julius Cæsar Scaliger* Lib. III. Poet. c. 100.

sibi sumebant 6), ornamentaque pretiosissima, ab iis mutuata, qui omnium rerum abundantia viuunt & honoribus & l<sup>a</sup>etitia maxime fruuntur; sic ostensuri, nullum esse felicitatis genus, cuius non ex æquo facti sint diuino fauore participes.

2. Veteres non facile ritum aliquem admisisse sine symbolica ratione, quæ, in quem finem institutus esset, docere debbat 7). Quandoquidem autem veteres suo ornatu homines de certis virtutibus, honoribus, commodis, priuilegiis, officiis admonere voluisse certum sit 8): Certum etiam hoc esse puto, veteres suos sponsos sponsasque nullo alio scopo ornauisse, quam quod ipsorum ornamenta crediderunt egeriarum virtutum &c. tacitos existere præceptores, qui, quid sint noui nupti, quid esse, & quid agere debeant, subindicarent 9).

A 3

Erant

6) Hac de re ne nemo dubitauerit, qui cogitauerit veterum novos nuptos regum sacerdotumque, at quanti hi apud antiquos? decore v<sup>er</sup>bus esse.

7) Causas Christianorum rituum attulere Isidorus Hispalensis, Amalarius Metensis, Walafridus Strabo, Isidorus Hispalensis, alii.

8) Hac de re neminem dubitare finit Paulus 2 Cor. III, 3. & Iohannes Apoc. XVI, II.

9) Hoc colligitur ex Ps. XLV, 14. **כָּל כְּבוֹד בַּתְּמָלֵךְ פְּנִימָה** זֶה לְכִשָּׁה **מִשְׁבָּצֹות** **וְהַלְּכָה** *omnis gloria eius sc. filiæ regis est ab intus in ocellationibus aureis vestis eius.* Quibus verbis hoc dicit P<sup>re</sup>lates, externum cultum, internarum virtutum quasi vmbra esse atque figuram. Vbi in primis attendendum ad illud **בְּ** præfixum ante **מִשְׁבָּצֹות**, emphatice enim David illud hic eo sensu usurpat, non esse substendum in externo ornatu, sed inde potius petendum esse argumentum concludendi, quam stet decora ab intus sponsa Christi, quam aliquis studiose curare debeat, ut pectore pariter atque ore Christianus sit. Hæc autem metaphora, quum satis aperte sit a nupturientium ritu-

Erant autem, vt nunc ad specialiora descendam, aliqua sponsi & sponsæ communia ornamenta, quæ commune vtriusque fatum, caussam communem, honores communes, commoda, priuilegia & officia communia, immo reciprocas virtutes condocebant 10). Ita enim volebant veteres, vt matri monii commoda & in commoda ab vtraque parte haberentur communia, & vtrique perfectionem status sui æquali studio vel tuerentur vel promouerent 11). Igitur

1. Vtrique lauabantur. Testimonia de Græcis habet Pfeiffer 12) qui ex Seruiū idem de Romanis refert. De Iudæis eo minus dubium esse potest, quum adhuc hodie apud eos lotio nubentium obtineat 13), eo die, qui nuptias proxime antecedit. Quod si in huius ritus rationes inquirere licet, nisi me omnia fallant, innocentiae & puritatis signo hocce 14) subinhuere voluerunt, se huc vsque integras vitæ scelerisque puros vixisse eandemque puritatem castitatemque iunctos matrimonio conseruatuos. Apud Romanos aquæ, ignis vsus addebat, quoniam hæ duæ res, quarum alterum quasi masculinum, alterum quasi femininum elementum est, humanam

con-

ritu mutuata: æque simul inde colligitur, mundum sponsi sponsæque externum eo scopo a Deo permitti, vt officij memores internos mores ab externo cultu & officia suis signis ne iubeant deesse, conf. 1 Petr. III, 3.5.

10) Hinc a Romanis et am iugum imponebatur matrimonio coniungendis, quasi æquissimo iure & concordibus animis iniucem necterentur, societasque & communio vitæ inter ipsos inita foret, quomodo commentatur Seruius ad Lib. IV. Aeneid.

11) Vid. Gerhardi Loc. Theol. Tom. VII. p. 622.

12) Antiqq. Græc. p. 644.

13) Testis est B. Gerhardus l.c. p. 707.

14) Hinc Pilatus lauabat se, vt innocens videretur a sanguine; inde tot lotiones Iudæorum & Ethnicorum ante cibum sumendum sacerdotumque ante peragenda sacra.

continere vitam credebantur; quæ, si vtrimeque a sposo & sponsa tacta essent, æterno fœdere iuncti existimabantur 15).

2) Vtrique vngebantur. De sponsa hoc compertissimum est, quippe quæ ideo apud Romanos dicta est vxor, quasi vnxor 16). Cant. IV, 10. translatitio sensu laudatur odor oleorum sponsæ Christo adductæ; vnde conficitur, oleo inungi solitas fuisse sponsas veterum Hebræorum, ex quorum rituali hæc metaphora petita esse videtur. Idem de sposo affirmari posse videtur ex Cant. I, 3. Caussam huius ritus cipientem scire oportet, vunctionis apud veteres fuisse usum medicum, politicum seu ceremoniale & symbolicum. Neque est, quod dubitemus, in vngendis veterum nuptis oleum olim ex medicis rationibus fuisse adhibitum 17). Effluere enim facit pilos & delicatam reddit carnem 18). Oleum inter alia laborum molestias mitigat & lumen fouet & hilaritatem conciliat, vt habet VICTOR ANTIOCHENVS 19). At enim, quis dubitet, nuptias tali remedio caruisse, vbi & sanitatis, & lætitiae & elegantiae magna cura erat. Adhibebatur etiam oleum ad usum politicum, ad regum, sacerdotum, prophetarum inaugurationes 20). Sic igitur satis manifeste oleum

nuptia-

15) Vid. Pfeiffer. l.c. p. 644 & Gerhard. l.c. p. 701.

16) Ut notat Seruius Lib. IV. Aeneid.

17) De medicina olei vid. I. A. Schmidii Diff. de curatione mörborum per oleum sanctum, quæ in Decade Dissert. tertia est.

18) Hoc iudicium veterum Iudæorum habetur apud Buxtorfum in Lexico Talm. sub voce אֲנָפִיקְנָן.

19) Comm. in Marcum. conf. Sontagii Animaduersiones in Metaphanis Critopuli Hieromonachi Cap. 13. de Euchelao p. 8.

20) Prophetæ an fuerint vngeli? inter eruditos magna lis est. Ut hac in re nihil certi audeam definire, quum utraque sententia suos habeat strenuos defensores: Ita liceat hac vice eos vngere cum Elisa, scita enim sine dubio inde fieri poterit ad sponsos sponsasque applicatio,

nuptiale perfectissimi nupturientium status signum magnorumque officiorum regulæ instar constituitur. *Quemadmodum* vero oleum ob fragantissimum odorem mire hominem resicit: ita etiam letitiae offendende causa in regum inaugurationibus & in conuiuiis maxime nuptialibus adhibitum fuit, & symbolice designat omnis boni adfluxum & abundantiam, verba sunt Cel. Tübingensium Cancellarii C. M. PFAFFII. 21).

3, *Vtrique induebantur ueste candida.* Hebræos in conuiuiis desponsationum iis vsos esse, Ven. DEYLINGIUS 22) probat ex Lexico Aruch. Apud alias gentes eundem ritum in nuptiis obtinuisse, inde satis constat, quod in conuiuiis, in diebus festis, & quacunque alia festiuitate publica, albati viderentur. De colore candido scite dicit CICERO 23): *Color albus præcipue Deo carus est.* Color candidus, secundum Plutar-chum allegante Deylingio, est naturalis, simplex, purus, lucidus atque adeo mores ingenuos, puros, simplices, decoros significare aptus est, & lœtitiae, libertatis, honoris, victoriæque symbolum esse. De vestibus candidis in genere dicit CLEMENS ALEXANDRINVS 24): *candidis ac minime curiosis ac operosis vestibus vti, est conuenientissimum.* Cogitanti vero, quibus olim, candidis vti permisum sit, inuenientique eas quondam illis datas fuisse, qui munus ambiebant eique deprehendebantur sufficientes & vitio parentibus; lacerdotibus; regibus; victoribus; latis atque felicibus; innocentibus &c. 25): animum subit opinio, veteres dato signo coniugandos hisce comparare voluisse. Verum in colore vestium interdum variabant. Coccineis vel purpuriis vsos esse quidam eliciunt ex Ier. IV, 30. & 2 Sam. I, 24. vbi SANCTIVS non sine veri specie coniectatur, regis libera-

21) In Diff. de vunctionibus Christi & Christianorum p. 17.

22) Obs. S. Part. 2. p. 611.

23) De legibus lib. II.

24) Lib. III. Pædag.

25) Vid. Godofr. Wegneri Dissert. de alba ueste baptizatorum p. 14 seqq.

beralitate nouis nuptis in Iudæa suppeditatas fuisse. Purpura autem & coccinea vestis, quum esset maiestatis<sup>26)</sup> & perfectionis insigne: non immerito creduntur veteres ea sponsum suum sponsamque induere voluisse perfectionis ipsorum ostendendæ causa.

4. Vtrorumque caput corona cingebatur. Negat quidem Tertullianus<sup>27)</sup> Hebræos coronatos fuisse, sed sineratione; sufficit enim in contrarium allegasse S.S. loca Es. LXI, 10. Cant. III, ii. & Selenum<sup>28)</sup>. De Græcis & Romanis idem certum esse existimauerim ex Doughæo<sup>29)</sup> & Pfeiffero<sup>30)</sup>. Dubium de veteribus Christianis; quos coronatos fuisse plurimi hodie negant, contra quos tamen rectissime monet Birmingham<sup>31)</sup>, locum Tertulliani, ex quo hoc probare fategerunt, non omnem coronæ nuptialis usum absolute reiicere, sed coronæ honorem scortatoribus tantum denegare. Certe, qui ex synagoga & ab Ethnicis varias ad rem suam ceremonias advexere trium priorum seculorum Christiani, non videntur eam negligere voluisse, quæ innocentissime retineri optimarumque meditationum typus quasi esse poterat & vehiculum. Postera tempora ad hunc usque diem ritum hunc sancte custodierunt, ita tamen, ut quum veteres Christiani sponsos quoque<sup>32)</sup>, nostra secula sponsas tantum hoc insigni velint cohonestari. Erat autem corona in veter-

B  
rum

26) Vid. Ammianus Marcellinus Lib. 21. in medio.

27) In Libro de corona militis.

28) De Vxore Hebræa Lib. II. c. 15. 23 seqq.

29) In Analectis S. ad Cant. III, ii.

30) Ant. Græc. p. 646.

31) Originum eccl. Vol. IX. p. 343.

32) Sidonius Apollinaris Lib. I. ep. 5: *Iam quidem virgo tradita est, iam corona sponsus honoratus;* & in fine Epithalamii:

- - - Tum diua comas viridantis oliuæ  
Pace ligat, necdit dextras, ac foedera iungit.

rum nuptiis maxime solemnis & constantissimi usus,  
ita ut vel ipsum nomen σεφάνωμα pro nuptius frequentissime  
occurrat, & σέφανθαι & σέφανονθαι idem sit atque γαμοιδαι.  
Caussa huius ritus facile intelligitur. Erat enim corona si-  
gnum lætitiae 33), honoris, victoriae; adeoque a recens nu-  
ptis eo fine gestabatur, ut ostenderent, læta esse omnia in  
nuptiis lætamq; sponsam de sponso suo; honorabiles nuptias  
in omnibus esse; nupturientesque, ut Chrysostomus 34) di-  
cit, hucusque victores cupiditatum fuisse. Immo vero, quum  
corona sit signum perfectionis 35): de perfecto etiam nouo-  
rum coniugum statu testari debuisse, fit verisimile.

5. Vtrisque dabatur annulus. Annulum in sponsalibus  
Hebreorum adhibitum fuisse non negat Seldenus 36) quam-  
vis hoc raro & posteris tantum temporibus factum esse existi-  
met, quum proprie in locum nummularum, qui arrhae loco  
in sponsalitiis dari solebant, suffecti sint: sed in nuptiis visitato-  
res fuisse, plane inficiatur, quum fere non nisi in mundo mu-  
lierum citentur Exod. XXXV, 21. Ef. III, 21. cui, quod ad veteres  
Christianos attinet, etiam adsentitur Bingham 37). At  
vero ornatus caussa a sponsis in nuptiis etiam gestatos fuisse,  
patet tum ex eo quod feminæ annulos apponere consueuer-  
int 38) tum ex nomine vetularum anus, q. d. femina, quæ  
anum, annum vel circulum vitæ suæ fere iam absoluit 39),  
tum

33) Hinc in coniuuiis & festis solemnioribus gestabatur.

34) Homil. 9. in 1 Tim.

35) Athenæus Lib. XV. cap. 5.

36) l. c. Lib. II. cap. 14.

37) l. c. Vol. IX. p. 319.

38) Isidorus Lib. XIX. Orig. c. 32. Feminæ - - non amplius,  
quam binos annulos aureos in digitis habere solebant.

39) Annulum Oscorum lingua ungulum dictum esse, Festus  
notat, quod inde tamen factum esse suspicatus est Thomas  
Bartholinus in Libro de armillis veterum p. 5. quod rudi  
seculo unguæ s. cornua annularum armillarumque vices  
sustinuerunt.

tum ex testimonio Clementis Alexandrini 40), tum ex huius ritus significatione. Res enim signata, quum obseruari perpetuo debuerit, procul dubio etiam signum perpetuo & in nuptiis in primis adplicari debuit. Nonnunquam dabatur aureus, cuius rei testis est TERTULLIANVS 41), qui erat signum libertatis 42) & nobilitatis 43), nonnunquam ferreus, ut Plinius refert 44). Materia annuli ad constantiam spectabat, forma ad perpetuam deuinctionem. 45). Præterea annulum notabant certo hieroglyphico 46) vel imagine 47) vel inscriptione 48). In genere autem, dato annulo dabatur rerum agendarum reipublicæ vel domesticæ plena potestas 49). Quando autem eo digitum quartum induerunt, hoc ex ea ratione fecerunt, quoniam exinde neruum quandam tenuissimum ad cor hominis peruenire crediderunt 50), vnde eum nonnunquam etiam pretiosam cordis coronam appellauerunt.

## B 2

## 6. Vtri-

- 40) Lib. II. Pædag. cap. II. vbi narrat procos amicarum vultus circumferre in annulis, vt, etiamsi velint obliuisci adfectionis suæ, nequeant tamen.
- 41) In Apologetico.
- 42) *Tertullianus* in libro de resurrectione carnis p. 144.
- 43) Inde apud Romanos non nisi nobilibus permittebatur aureos annulos apponere.
- 44) Nat. Hist. Lib. IV. c. 1.
- 45) Ita iudicat Scaliger. Lib. III. de re poetica Cap. 101.
- 46) Ut docet Clemens Alexandrinus Pædag. Lib. III. e. g. dextra vtrimeque coniuncta, q. d. en dextram fidemque.
- 47) Vid. locum ex Clementis Alexandrini Pædag. Lib. II. modo citatum.
- 48) e. g. מְלֵבֶד vid. Münsterus ad Gen. XXX. & Bucheri Antiquq. Bibl. p. 50.
- 49) Vid. Gen. XLI, 42. ibique Dongthei Analecta S. Esther. III, 10. VIII, 2. & Iosephus Antiquq. Lib. XVII. c. 10. & Lib. XX. c. 2.
- 50) Gellii Noct. Att. Lib. X. cap. 10.

6. Vtrique indutis calceis gaudebant 51), & sponsa quidem, vt Bynæus 52) existimat, rubris, quibus reges vtebantur 53). Vt enim discalceatio erat signum luctus 54), seruitus 55) & ignominiae 56): Ita e contrario calceus potestatis signum erat, vnde dato calceo etiam dabatur ius Ruth. IV, 7. & communio iuris. Sponsæ autem a sposo datus fidei tessera erat & potestatis domesticæ & genitalis thori communio nem innuebat, vnde olim ingeniose expressit, quisquis amoris effigiem expressit, vt habet BALDVINVS, sinistra manu calceum gerentem, altera vero titulum hunc: ius meum alteri trado. Simul vero & hoc merito hic obseruatur, quum calceus sit signum peccati Exod. XXX, 19. 29. quam difficile a coniugio peccatum abesse soleat.

Age nunc de sponsa agam speciatim, quæ sicuti præcipuo honore digna aestimabatur: ita etiam ad beatitatis in coniugio obtainenda perfectionem, multis modis conferre poterat, si, quibus debebat, virtutibus ornata esset, &, quod decet, vellet & posset obseruare. Huius autem officii sui vario 57) totius corporis ornatu admonebatur: qui quidem non solum, quibus speciosa esset virtutibus, quibus moribus excelleret, testabantur; sed etiam, quæ ei in primis curæ esse debebant cordique. Sicuti vero hominum sequius genus in ornatu maxime luxuriatur 58): Ita etiam non est mirum, sponsas elegantiam corpori maiorem semper, quam quæ ipsis a natura erat, intulisse; quum tere in nulla re magis hic hominum sexus

occu-

51) Vid. si placet Bynæus, Balduinus, Lampius de calceis.

52) I. c. Lib. I. c. 3. §. 16. p. 43.

53) Balduinus I. c. p. 86.

54) Ez. XXIV, 17.

55) Balduinus p. 222.

56) Deut. XXV, 7. sqq.

57) Hinc Hebræis dicitur כְּלָמָד f. כְּלָמָד, quod perfecte ornata esset, vt scribit Buxtorf. in Lexico Talmud.

58) Sunt hac de re S. S. querelæ i Tim. II, 9. Ef. III. Ier. II, 32.

occupetur, quam ut, qua parte inferior est masculis dignitate, illius cultu & nitore velit maxime exsplendere. Quod ut est manifestum & testatissimum: ita saepe etiam & non sine ratione requisitum. Ut enim maxima ipsis cura erat de fauore mariti: ita eum nulla re magis sibi deuineiri posse sperabant, quam virtute & corporis elegantia 59). Ad mundum igitur sponsae refero.

1. Capillum promissorem Cant. IV, i. VI, 4. Rasura feminarum enim erat vel infamiae nota 60), vel luctus signum 61), nec conueniebat diei lætitiae, in quo omnia ad honestatem composita erant. Ille autem vel *hasta* discriminabatur, ut apud Romanos 62), hasta sc. quæ in corpore gladiatoris steterat, ut, quemadmodum illa coniuncta fuerit cum corpore gladiatoris, sic illa cum viro esset, vel ut sic iadicaretur, eam esse sub potestate viri; vel *neclabatur* Cant. IV, 3. VII, 5. quod tamen reprehendit sacra scriptura non absolute, sed sub conditione, si vera virtus negligatur 1 Tim. II, 9. 1 Petr. III, 3. Ef. III, 17. qui ritus sponsabus adeo fuit frequens, ut neclere alicui cincinnum & nubere alicui in Epigrammate perinde sit 63); vel in *serta*, vulgo trecias colligebantur 64), mitra enim seu vitta veterarum erat propria 65). Capillum interdum auro & gemmis onorarunt 66), quod fecisse, probabile est, ex eodem principio, quod omnia ornamenta perfectionis & felicitatis suæ signa esse voluerunt.

2. Coronam, quæ referente Seldeno erat *vel aurea*, *vel*  
B 3 ar-

59) Colligi hoc potest ex Cant. IV, 9. Matth. XXII, ii. Apoc. VII, 14. conf. Deut. XXI, 13.

60) Apuleius Lib. II. Metamorph.

61) Vid. Schoocki Exerc. var. p. 348.

62) Henningius l. c. p. 61.

63) Vid. Suidas in voce βόσγυχος.

64) Henning. l. c. p. 57.

65) - - - p. 59.

66) Pfeiffer. l. c. p. 648 & Henning. p. 57.

*argentea, vel ex sale tosto formata atque sulphure depicta, vel rosea  
vel myrtea, vel oleaginea.* Apud Iudeos plerumque aurea; au-  
rum enim, vtpote a partibus heterogeniis plus quam alia me-  
talla purum, admonere sponsam poterat de puritate coniugii.  
In Boeotia sponsam aspharonica coronasse ex Plutar-  
cho refert Pfeiffer 67). Hanc enim plantam, addit, ex asper-  
rima spina fructum dulcissimum; & sponsam, quamuis pri-  
mo insuauem se & difficilem præbeat, postea dulcem vitæ so-  
ciam se præbere. Apud Iudeos in usu erat corona facta in  
forma Hierusalem 68), quæ sicut erat vrbs perfectæ pulchri-  
tudinis & gaudium Terræ Thren. II, 15. vrbs sanctissima & ha-  
bitaculum Dei: ita ad eius formam facta corona de coniugio  
sancte custodiendo admonere poterat & ad recordationem  
Hierosolymæ, quæ supra nos est, cuius quasi figuram spon-  
sa repræsentabat, stimulare, vt, æque Christo, atq; sponso  
suo, grata a Christo habitari & in æternum beari gloriaque  
ac honore coronari posset.

3. Inaures, quæ quamuis vtrique sexui familiares erant  
& sine discrimine usurparentur in Oriente 69): tamen ita et-  
iam Iudeis receptum fuisse non inuenio, qui id ornamentum ge-  
nus feminis potius reliquerunt atque proci sponsabus suis  
donauerunt Gen. XXIV, 22. Quamuis igitur a regibus primo  
ad alias homines videantur transiisse, tamen non ornatus  
caussa solum, nobilium enim erat; sed præcipue etiam in si-  
gnum subiectionis, (auris enim ita perforobatur quo ritu ser-  
vus obstringebatur, vt domino suo in perpetuum seruiret,) Iudeorum feminis datæ videntur esse, plane secundum mo-  
nitum Apostoli: feminæ viro subiecta erat. vid. plura in Bar-  
tholini hibro cit.

4. Peplus s. flammeum quod sponsæ faciem tegebatur.  
Hoc apud Hebræos visitatissimum erat Gen. XXIV, 65. Cant.  
V, 7.

67) l.c. p. 647.

68) Deylingius Obs. S. Part. III. p. 155.

69) Bartholinus de inauribus veterum p. 91.

V,7.1 Cor. XI,10. Ezech. XVI. 70). Immo inter alias gentes etiam in vsu fuisse, Doughthæus 71) monstrat. Visitata etiam erat obuelatio inter veteres Christianos, quum a Tertulliano 72) satis expresse dicatur: *atque circumvelata ad virum deducuntur;* qui ritus adeo factus est solemnis, ut hinc ipsæ nuptiæ a nubendos s. quod idem est a velando latina lingua vocarentur 73). Eius autem consuetudo, quum a Iudeis ad alias gentes pervenerit: merito haec illius ratio cum Drusio 74) redditur: *Qui aliquid fædum commisit, pudet eum, ideo tegit caput suum. Sic mulier, quæ prima peccauit, & propter eam peccatum Adæ, e quo prorsus per vniuersum mundum: ideo exit capite tecto.*

5. Volebam plura addere de vestibus egregie auro gemmisque intertextis, de cingulo s. Zona, quod maritus boni ominis caussa in lecto solvebat, de fasciis quæ castitatis & fidelitatis coniugalis signa erant Ps. XLIV. de manuum, colli, pedum totiusque corporis ornamentiis: sed retinenda vela, ubi iam longius profectus suum. Igitur hoc addo tantum, sponsæ ornamenta sponsi dona fuisse; id quod colligunt quidam ex Cant. III, 8. vbi vulgatus: *veni coronaberis de vertice Amama,* ex Ezech. XXIII, 42., ex multis exemplis in S.S. obviis. Vnde forte lucem acceptabant loca S.S. vbi vestimentis albis, iustitiæ, salutis Deus vel Christus nos induere dicitur.

Sed cohibendus stilus, qui iam nimium excurrit. Pauca tantum adiiciam de sponsi veteris ornatu, de quo in genere obseruabo.

### i. Quod

70) *Tertullianus Cap. IV. de corona militis. Bucher. de velato Hebræorum Gynecæo Cap. I. & in Antiqq. Bibl. p. 55. 58. 60.*

71) *I. c. ad Gen. XXV, 65. Schackius I. c. p. 353.*

72) *Libro de velandis mulieribus. Conf. Bingham. Vol. IX. p. 342.*

73) *Vt ex festo & aliis refert Bingham.*

74) *Præterit. Lib. VI. c. 6.*

1. Quod sponsum eiusmodi ornamentiis cohonestarint,  
quæ in multis referebant ornatum sacerdotis, id, quod intel-  
ligitur ex verbis Es. LXI, 10 (כְּחֵן יְכֵן פָּאֵר 75) vbi significa-  
tio vocis כְּחֵן, qua sacerdotale ministerium infert, merito reti-  
netur & in Piel redditur sacerdotio aptauit. Vocabula autem  
פָּאֵר licet Theodotioni, Symmacho, Aquilæ σέφανος corona  
reddita sit, quum adhibetur de mitra, tiara &c. melius gene-  
raliori significatione de ornatu sumitur vid. Exod. XXXIX,  
17. Ezech. XLIV, 18.


2. Quod sponsi ornamenta corruptionis humanæ signa  
habuerint. Qua de re neminem dubitare finit Suidas 76):  
βαπτία, inquit, ιμάτια ἑφόγουν δι νύμφιοι πρὸς τὸ φάνεθαι τέλεσθαι τέλεσθαι  
τῆς φθορᾶς.

Quæ elegantissime conueniunt, cum officio sponsi  
sponsæ suæ præstando & dignitatem sponso non exiguum conciliant;  
qui tamen, quum sit ipse corruptioni obnoxius, eum  
etque atque sponsa ipsius supplex veneratur Christum, quem  
ipsemet repræsentat animi sponsum, cumque eo arctissime  
unitur, & omnes amores, fauores, curas, defensiones a  
sponso expetendas, exspectat. Sic tandem dicendorum fi-  
nem faciam. Tibi autem, Vir summe reuerende, Fautor  
omni pietate ætatem colende, Sponse felix, Deo care, Tua  
hoc die gaudia gratulor; sponsam lectissimam & generosissi-  
mam, sponsam omni decoram virtutum elegantia gratulor,  
ipse sic de Tuō bono maxima lætitia perfusus: Vtere eo &  
fruere diu gratiarumque diuturnos fructus honestique con-  
iugii diuinam benedictionem lætus experire. Quod ut toto  
animo opto voueoque: Ita Tibi Tuæque: Feliciter, Felici-  
ter! cum veteribus adclamo, & cum Aucto Viennensi sic tan-  
dem concludo:


Viuite concordi studio mundumque replete;  
Crescat longævum felici semine germen;  
Non annis numerus, vitæ nec terminus esto.

75) Vid. Bucheri Antiqq. Bibl. p. 48.

76) In voce βαπτία.







1. Quod sponsum eiusmodi ornamenti cohonestat  
quæ in multis referebant ornatum sacerdotis, id, quod  
ligitur ex verbis Es. LXI, 10. כהן יכהן פָּר vbi si  
tio vocis כהן, qua sacerdotale ministerium infert, m  
netur & in Piel redditur sacerdotio aptauit. Ve  
ר licet Theodotioni, Symmacho, Aquilæ reddita sit, quum adhibetur de mitra, tiara &  
raliori significatione de ornatu sumitur vid  
17. Ezech. XLIV, 18.

2. Quod sponsi ornamenta corrup  
habuerint. Qua de re neminem dul  
βαπτίᾳ, inquit, ιμάτια ἐφέσουν οἱ νύμφιοι  
τῆς φερόεις.

Quæ elegantissime conuenientia  
sponsæ suæ præstanto & dignitate  
cilian; qui tamen, quum sit in  
æque atque sponsa ipsius sup  
ipsem et representat animi  
unitur, & omnes amores  
sponso expetendas, ex  
nem faciam. Tibi a  
omni pietate æstatem  
hoc die gaudia gra  
ipse sic de Tu  
fruere diu gr  
iugii diuiniz  
animo op  
ter! cum  
dem c

rdi studio mundumque replete;  
gævum felici semine germen;  
s numerus, vitæ nec terminus esto.

Bucherij Antiqu. Bibl. p. 48.  
voce βαπτίᾳ.

